

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Elvcidatio

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)



## ELVCIDATIO.

**S** BONAVENTURAM cum innumera spectabilem reddant, id vel maxime prestat S. D. Sixtus V. Apostolica illa perpetuò valiturâ Constitutione, quæ incipit: Triumphantis Hierusalem. Vbi maturâ desuper habitâ cum S. R. E. Cardinalibus deliberatione, de eorundem consilio, & unanimi consensu, ex certâ scientiâ & Apostolica potestatis plenitudine, doctrinam ipsius S. Bonaventuræ, à Prædecessoribus suis Clemente IV. Gregorio X. & Sixto IV. laudatam, in Concilio Lugdunensi maxime spectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, grauissimorum virorum auctoritate restitutam & commendatam, & eximio Ecclesie Doctore dignam, plurimum in Domino laudans & commendans; Litteras eiusdem Sixti IV. innouando, ipsum S. Bonaventuram, jure SS. Doctorum consortio ab eodem Sixto IV. adscriptum & connumeratum, autoritate Apostolicâ, inter præcipuos & primarios, qui Theologica Facultatis Magisterio excelluerunt, habendum, ac venerandum esse decernit & declarat, illiusque libros, Commentarios, opuscula, opera denique omnia, vt aliorum Ecclesia

A 2

DD.

DD. qui eximij sunt, non modò priuatim, sed publicè in Gymnasijs, Academjs, Scholis, Collegijs, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusq; alijs Ecclesiasticis studijs Christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque cum res postulauerit, adhiberi voluit, ac decreuit. Quae tantæ authoritatis attestacione, cum in laudem Seraphici Doctoris præclarè dici nihil possit, vel ipsæius Doctrina magis commendari, sunt tamen in illa quadam, quæ peregrino Lectori non parùm paradoxa videri queant, vt peritissimi quoque viri orthodoxo sensui dissentanea planè iudicauerint. Quibus cum absterreri Sancti huius Cultor Seraphicæ Doctrinæ audis posset, aliqua seligere placuit, quæ cum grauiori censura notata, discussione modicâ Crisin adeò rigidam non difficulter eludant, sp. m non vanam facient, quam in reliquis etiam minùs suspecta sit, quin imò quod præclarè aliquando Gerson censuit, nullam sublimiorem, nullam diuiniorem, nullam salubriorem, atque suauiore pro Theologis esse Doctrinam, quoniam sapientissimus hic Doctor planè Seraphicus, & in dicendo solidus est, & securus, & pius, & iustus, & devotus, & à Sanctissimo eque ac Sapientissimo Thoma Aquinate, in hac mortali vita adhuc superstes Sanctitatis elogium obtinuit, vt omni proinde veneratione frequentanda maximè sit, cuique vt egregiè

egregiè Trithemius aiebat, qui & doctus esse  
velit & deuotus, intentus esse semper de-  
bet. Doctrina puritatem non obscurat sed mul-  
to adhuc illustriorem reddit rerum selectis-  
simarum ueritas, tam apta earundem in omnibus  
operibus dispositio, tamque concinnus ordo, ac  
numerus uniuersis absolutus, ut pulchrius nihil,  
delectabiliusque desiderari possit, etiam in li-  
bris Sententiarum, quidquid modernis Theologis  
methodo, quam Angelicus Doctor in sua Summa  
tenuit, innutritis secus aliquando videatur, cu-  
ius ergo, ut in hoc quoque Discipulo Seraphico  
satisfaciam, quatuor prætmitto tabellas, quæ  
uniuersam Theologia Summam in quatuor Sen-  
tentiæ libris à Seraphico D. traditam non  
minùs dilucidè quàm breuitate amœna ob ocu-  
los ponant.

### §. I. An Christus Dominus omnia novæ Legis Sacra- menta instituerit?

**D**ecreuit Concilium Trident. sess. 7. de  
Sacramentis in genere C. 1. atque Ana-  
thema dixit, si quis dixerit Sacramenta nouæ  
Legis, non fuisse omnia à Iesu Christo Domino  
nostro instituta. Hic licet non habeatur par-  
ticula immediatè, subintelligendam tamen  
esse, communis est sententia, cum de hoc  
A; præcipuè